

## TERENZIO

## 1 Una discussione tra genitori

- LACHES** Pro deum atque hominum fidem, quod hoc genus est, quae haec est coniuratio!  
 utin omnes mulieres eadem aequae studeant nolintque omnia  
 neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperia! 200  
 itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.  
 viris esse advorsas aequae studiumst, simili' pertinaciam,  
 in eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam; et  
 <ei> ludo, si ullus est, magistram hanc esse sati' certo scio.
- SOSTRATA** me miseram, quae nunc quam ob rem accuser nescio. **LA.** hem 205  
 tu nescis? **SO.** non, ita me di bene ament, mi Lache,  
 itaque una inter nos agere aetatem liceat. **LA.** di mala prohibeant.  
**SO.** meque abs te inmerito esse accusatam post modo rescisces. **LA.** scio,  
 te inmerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?  
 quae me et te et familiam dedecoras, filio luctum paras; 210  
 tum autem ex amicis inimici ut sint nobis adfines facis,  
 qui illum decrerunt dignum s<uo>s quos liberos committerent.  
 tu sola exorere quae perturbes haec tua inprudencia.
- SO.** egon? **LA.** tu inquam, mulier, quae me omnino lapidem, non hominem putas.  
 an, quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini 215  
 quo quisque pacto hic vitam vostrarum exigat?  
 multo melius hic quae fiunt quam illi[c] ubi sum adsidue scio.  
 ideo quia, ut vos mihi domi eriti', proinde ego ero fama foris.  
 iam pridem equidem audivi cepisse odium t<ui> Philumenam,  
 minimeque adeo [est] mirum, et ni id fecisset magis mirum foret; 220  
 sed non credidi adeo ut etiam totam hanc odisset domum:  
 quod si scissem illa hic maneret potius, tu hinc isse foras.  
 at vide quam inmerito aegritudo haec oritur mi abs te, Sostrata:  
 rus habitatum abii concedens vobis et r<ei> serviens,  
 sumptus vestros otiumque ut nostra res posset pati, 225  
 m<eo> labori haud parcens praeter aequom atque aetatem meam.  
 non te pro his curasse rebu' nequid aegre esset mihi!  
**SO.** non mea opera neque pol culpa evenit.